UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini, ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Defensio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

Visual Library

sed primæ,si sine scandalo potest.
Si autem scandalū imminet,non reddet,neque primæ,neque secūdæ, licèt possit cogi per ecclesiā ad cohabitādū cum secunda, non tamen ad reddendum debitum, sed potius debet excōmunicationem sustinere. Vide infrà, Matrimonium,aliqua.

DECIMÆ.

1 DECIMÆ solui debent vbi consuetū est,aliter peccatum mortale sacrilegij incurritur,ex suo genere ,ex imperfectione actus: in re minima,est veniale. Vbi autem nō est consuetum, secus est,salua tamē cura sui pastoris, si aliunde non habet vnde viuat, quia tunc subditi tenentur,quilibet pro rata sua prouidere : vt habeat vnde honestè secundum sui status decentiam possit viuere.Etiam nulla consuetudine ibi existente,secundum Cajet.ibi.

2 QVO tempore debeant solui decimæ,standum est consuetudini,& etiā in quo loco,secūdum quod est approbata,& præscripta,& hoc communiter tenetur ,& securius. Et si pereunt, pereunt illi,qui est in mora,& si non appareat de consuetudine vbi soluantur, debent portari ad domum recipientis.quia secundum Thom.secundæ.q.33.a.2.ad.4.debitor adueniente termino , debet quærere creditorem, aliàs esset in mora,cùm terminus ipse interpellat. Nec debent deduci expensæ,etiam factæ in colligendis fructibus.in c.cùm homines .de deci. &c. tua.neque semen deducendum est: secundum Host. De personalibus,quæ insurgunt ex rebus iam decimatis ,de ducuntur expensæ,aliter non.in c.pastoralis.eod.tit.

3 SACERDOTI etiam diuiti,vbi est consuetudo ,debent solui decimæ,secundum Th.quol.6.q.5.a 4. Vbi autē non est consuetudo , & ecclesia petit, debent solui ,quia talis obligatio non potest quacunque consuetudine præscribi,vt si petuntur non soluantur. Quia de iure diuino est ,vt ministris ecclesiæ prouideatur,& in hoc conuenit Tho.quol.6.suprà .secunda secundæ.q.87.Host in c.à nobis eod. titul. Inno.notat vnum dictum Gul.dicentis : Quòd ecclesiæ acceperunt semel totam decimam,cùm receperunt possessiones sufficientes ad earum necessitates,& sic posset dici, quòd continuè recipiunt decimas,id est,reditus ratione decimæ. Quòd si est verum ,tota quæstio est soluta,quia non amplius possunt petere,& credo sic esse , cùm videamus omnes ecclesias ,episcopos, & prælatos diuites de possessionibus.

4 OMNES tenentur ad decimas,nisi sint exempti,etiam clerici de proprijs prędijs,secundum Thom. secunda secundæ.q.87.a.4. &c,à nobis.de deci. Et quando res nō decimata venditur, tam à vēditore,quàm ab emptore potest exigi.arg. in c.monemus.12.q.2. & Thom.secunda secundæ.suprà,etiā de furatis per negligentiam possessoris,decimæ solui debent.secundū Th. suprà . Quòd si sacerdos sit diues & non indigeat decimis, non tamen videtur quòd possit relaxare decimas homini diuiti,vbi teneē soluere , sed debet recipere vto pauperum sustētatione,aliter est infidelis dispensator relaxando diuiti ,quod tenetur dare pauperi.infrà Restitutio.vide aliquid.
Sed quia in solutione decimarum attenditur cōsuetudo, ideò satisdictum sit relictis alijs iuribus ,ad quæ te remitto,si plura scire volueris. Quomodò retrahentes à solutione decimarū excommunicantur,infrà,Excommunicatio .50. De rebus malè acquisitis quæ obnoxia sunt restitutioni non debetur decima,secus de agro, ex vsura empto.

DEFENSIO.

1 DEFENSIO manualis dupliciter est illicita. Primò,si fiat ex intentione .& animo lædendi offensorem, quia fieri debet vt defendat, & si aliter non potest fieri defensio,nisi lædatur inuasor , debet illum lædere, ita quod læsio sequatur ex necessaria defensione, & peccant mortaliter , qui

non

non curant seruare illæsos inuasores, cùm possunt aliter defensionem exercere. Secùdò, cùm vim vi repellunt, sed nó cum moderamine inculpatæ tutelæ ex proposito, quia si quis putat se defendere cum moderamine, & non aduertendo, aliqualiter excedit, aut non peccat, aut leuiter, quia actio exterior accensa, non omnimodè subiacet mensuræ. hæc Caieta. ibi.

2 QVOMODO autem fiat, vel quæ sit hæc moderatio, vide gl. in l. si ex plagis. ff. ad leg. Aquil. Primò oportet, quòd aggressus sine armis, sed cum pugno, vel paruo baculo, non resistat armis. Secundò, quod hoc fiat incontinenti, & non ex interuallo. Tertiò, vt fiat causa defensionis, & non vindictæ. Sed quò ad primum, non potest dari certa regula: quia aliquando plus potest aggressor pugno, quam aggressus ense. Quò ad secundum, distingue: quia si vis infertur personæ, potest quis incontinenti percutere antequàm percutiatur, ad euadendum percussionem, vel iniuriam: quia hoc est iniuriam repellere, plusquàm inferre. quod tamè Bartol. limitat, si verisimilia præcedunt indicia, & actus manifesti, quòd ille volebat percutere, vel offendere, & iste alter alio modo non poterat se defendere. Facta autem iniuria personæ, non est licitũ percutere etiam incontinenti, quia non esset defensio, sed vindicta, nisi secundum Innocent. geminata percussio timeretur. Et sic percussus percussorem iam nolentem percutere insequitur, & vulnerat, non punitur vt dolosus, sed vt culpabilis, vt in libr. 1. ff. ad Turp. Si autem vis infertur rebus: secundum Iacob. de Aret. vel res via iudicij recuperari possunt, & tũc non licet percutere, etiam si res aliter salua esse non posset. Si autè via iudicij reparari non possunt, dicit secundũ aliquos quòd licet, & hoc verũ puto. scilicet quòd etiã liceat pro defensione occidere incõtinenti. ff. ad leg. Cor. de sic. l. furem, quia non est vindicta, sed defensio. Hoc etiam tenet Sil. excõmunicatio. 6. §. 4. casu 9. Idem tenet Innoc. in c. olim. de restit. spo. tam pro propriis rebus, quàm alienis, quando iniuriosè rapiuntur: quia secundum eum licitum est propter hoc mouere bellum. Intellige' tamen incontinẽti, antequam ad alia diuertat, & iam exportauerit.

3 PERCVTERE etiam licet inuaso quando fuga esset sibi iniuriosa defendendo, & nõ tenetur fugere: secundũ Pa. in d. c. olim. secus quando non esset iniuriosa notabiliter: secundũ eundem. sed Bar. indistinctè tenet, quòd nõ tenetur fugere. in l. item apud Labeonem. ff. de iniure. & cõsequẽter potest percutere repellendo. Et hoc omnibus est licitum, tam laicis, quàm clericis, quia de iure naturali est: secundum Io. de Lig. & in omni loco est licita, etiã in ecclesia, quæ nõ polluerẽtur fortè, quia effusio sanguinis non esset iniuriosa, quod requiritur ad pollutionem. c. vno. de cõse. eccle. in. 6. sup. Consecratio. §. 5. Licita est etiam omni occupato in quocunque officio etiam celebrãti. 7. q. 1. c. illud excepto officio baptizãdi, qũ dimittendo pro defensione certũ esset ipsum baptizandũ sine baptismo mori debere, qa bonũ animæ præponitur bono corporis, & maximè, si esset proprius sacerdos baptizans: secundum Io. de Lig.

4 TALIS defensio contra quẽcunq; inuadentem iniustè, est licita, quia naturalis, siue fiat contra superiorẽ, siue iudicẽ, limites legis excedentes. Secus quãdo secundum legẽ agunt, quia tũc non licet eis resistere. c. qui resistit. 23. q. 3. Et non solùm pro seipso talis defensio licet, sed etiam pro amicis, coniunctis, & pro quolibet de populo: secundum Bar. in l. vt vim. sed not, quò ad pœnam: secundum Ioann. de Ligẽ. quòd occidens, vel mutilans defendẽdo se, vitat irregularitatem, non autẽ si altertũ, etiam patrem, & huiusmodi vt not. glos. c. furiosus. de homi. cle. Et defendendo se, & patrẽ, & matrẽ, vxorem, filiũ, vel filiam, vitat excommunicationem si clericum percutiat secundum Inn. non autem defendendo ex-

do extraneum. Sed hoc videtur valdè durum quòd quis non peccãdo mortaliter, nec dando operam rei illicitæ, incurrat excommunicationẽ, & quia dictum est esse licitum quemcunque defendere cum debito moderamine, ideò non videtur incurrere excommunicationem, etiam percutiendo clericũ hoc modo, quia nõ fit diabolo suadente. 27. q. 3. c. si quis. Potest enim is sibi facere cõscientiam mortaliter nõ peccasse, ergo nec excommunicationẽ incurrisse.

5 EX his inferri potest, quòd si quis aufert vi, & incontinenti rem ablatã sibi à clerico, nõ incidit in canonem, quia non facit suadente diabolo, sed secundum ius naturale: nisi res esset volentis rapere, & nõ tenentis, & nõlentis restituere, secundũ Ioan. de Lig. qui allegat Innoc. in c. 2. de restit. spo. & non solùm licet percutere, sed etiã occidere cum moderamine tamen, si insurgat contra defensorem raptor. Ar. in c. si perfodiens. de homi. ver. defenderit.

6 QVID si clericus rapuit equum meum, & fugit cum illo, & aliter nõ possum habere, nisi illum sagitta vel aliquo alio instrumento occidam. Dicunt quidam, quòd licet occidere, etiam sine excommunicatione, sicut videmus pro temporalibus quotidie bella mouere, quod fieri nõ posset in conscientia, si esset contra legem Dei. & Sil. in vers. excommunicatio. 6. casu. 4. §. nono. Innoc. etiam extendit hoc ad expulsionem de domo. de qua clericus nolens recedere, potest percuti, &c.

7 AN pro defensione rerum suarum liceat alium interficere, vide Ca. secunda secundæ. q. 64. a. 7. quia concludit licere, quia quis plus curam habere rerum suarum quæ sunt adminicula, vitæ propriæ, virtutis, & fœlicitatis, quã vitæ alienæ tenetur, & ibi soluit rationem in oppositum.

DEGRADATIO.

1 DEGRADATIO actualis potest fieri sine numero Episcoporum: secũdũ Ge. in c. degradatio. de pœ. li. 6. non autem verbalis, quæ oportet fieri à primo Episcopo, cum debito numero Episcoporum. vt in text. & gloss. d. c. degradatio. De forma & modo degradãdi. vide in dict. cap. degradatio. & in pastorali. & de numero Episcoporum, quæ ad confessorem parùm pertinent.

2 PER actualem degradationem, clericus incontinenti perdit priuilegium clericale, & efficitur de foro secularis secundum Panormita. in capitul. nouimus de verborum significatione, & qui eum verberat, non sit excommunicatus: secundum gl. in d. c. degradatio. Secus si degradato tantùm verbaliter fiat. vide Pano. in c. ad abolendã. de hæret.

3 DEGRADATVS si vult, potest cõsecrare corpus Christi, quia non amisit characterem sacerdotij: secundum Thom. 3. part. quæst. 83. a. 8. peccaret tamen si hoc faceret, & tenetur dicere officium, si erat in sacris. cap. dolẽtes. de celebratio. miss. & similiter si non erat in sacris, & retinet beneficium: secundum Gul. sine tamen dominus vobiscum, vel alia solennitate. Et solus Papa tales restituit. infrà. Dispensatio. §. 22. Degradatus traditur brachio seculari pro tribus peccatis, quæ ponit Tab. ibi. §. 2.

DELECTATIO *morosa.*

1 DELECTATIO morosa, hoc est volũtaria, quando scilicet homo delectatur de actu malo cogitato, sine voluntate tamen perficiendi talẽ actũ malum, potest considerari ex parte actus, de quo est delectatio, cuius est etiam obiectum, & ex parte consensus. Ex parte actus, si sit mortalis, & delectatio morosa de eo, erit mortalis, vt de furto, adulterio, & huiusmodi. Si erit venialis, similiter & delectatio venialis. Ex parte autem cogitantis, iuxta veritatem deliberati, consensus iudicanda est. Nam si cogitando de actu quantuncunque malo, persona delectetur non aduertendo ad id